

cap. XI, 31, 36, 39, ubi legimus, quod *Judæi* consolati sint *Mariam* Lazari sororem, & cum eâ fleverint, nec non de Christo dixerint: *Ecce quomodo amabat eum* (Lazarum) Conf. Matth. XXIX, 15. Quare nostram sententiam, ut tutissimam & literæ Textus strictè inhærentem, retinere necesse erit.

Questio II.

An sub iis, quos Christus alloquitur, comprehendendi etiam possint Sadducæi? R. Dixi, quod Christus in genere alloquatur *Judæos*, inter quos Sadducæos tum temporis fuisse, pariter indicavi; quare etiam facile contingere potuit, ut nonnulli ex iis unâ cum aliis concionem Christi audiverint. Interim pro decisione quæstionis negativa *Grotius*, qui Christo non cum Sadducæis, sed Phariseis rem esse, ait, urget, *Comm. ad h. l.*, quod statim post prolat. verba adhortatoria *ἐπειὴν*, &c. ratio addatur: *quia vos videmini vobis in ipsis vitam æternam habere*, cum tamen Sadducæi vitam æternam i. immortalitatem animæ & resurrectionem negarint, juxta supra monita. Verùm hoc non obstante adhortatio illa *ἐπειὴν* generalis manet, & ad Sadducæos pariter ac alios directæ est. Nam (1.) Duæ rationes adduntur adhortationi illi, quarum altera est, quam modò audivimus, altera sequentibus verbis continetur: *Illæ (Scripturæ) sunt, quæ testantur de me.* Unde, etsi prior ratio ad Sadducæos non pertineret, h: m. intelligenda: quia vos, ô Judæi, quoad maximam partem vestram vitam æternam i. perpetuam per scripturam obtinere speratis: posterior tamen eosdem stringeret. (2.) Ipsam tamen priorem rationem ad Sadducæos quoq; referre licet, quia illi phrasi hac uti potuerunt: quod in Scripturis *vita æterna*, utpote quod nomen reperitur Dan. XII, 21, habeatur, intelligendo per eam vitam voluntati DEI conformem virtuosam atq; felicissimam, quandò scilicet homines absq; expectatione remunerationis aut vitæ perpetuæ DEO Creatori servirent. Talem enim cultum à summo Numine requiri, ex *Antigoni Soebai* doctrina malè intellecta *Sadocus* discipulis suis persuasit. Ipsa verba *Antigoni* aliaque eo facientia videre poteris apud *Pfeiff. Theol. Jud. Exerc. 4. Abs. 3. & alios ibi citatos.*